

tur, & circa horum objectorum usum, relationem, conciliationem & applicationem facultates intellectus, ratiocinationis, iudicii, reminiscentiæ & æstimationis exercet: hæc officia dum extra suum corpus in vastissimo macrocosmo eadem anima administrat, quid difficultatis subest, cur in proprio suo domicilio, aut microcosmo easdem facultates exercere & applicare nequeat; illic operatur ministrantibus organis sensoriis, nec hic similibus instrumentis caret: & cuinam usui internæ partes sensibiles sunt & prædicantur! quid impedit, quo minus interna negotia, corporis conservationi destinata, æque rationaliter, circumspicte & iudiciose administrantur, quo minus etiam rationalis reminiscencia illis connecti queat! Quorsum quæso solida & sobria ratione affectus hæreditarios, annuos, menstruos, alios statarios, imo plane horarios referamus? deplorandæ rectius, quam admirandæ sunt illæ torturæ, quibus efficacia causarum & qualitatuum pure corporearum necessaria hoc in officio declamatur; qualis male ingeniosa fictio, omni nexu & usu aperte destituta deprehenditur. Si enim varii animi mores, multæ inclinationes, omnes affectus patheticæ in œconomiam vitæ naturalis manifestum suum influxum produunt, quis igitur adeo malevolus, morosus & pertinax fuerit, ut reminiscentiæ influxum nexum & usum in officiis vitalibus abneget. Testimonia multa constant, quibus hanc de anima veritatem ulterius cognitam & confirmatam reddere possem. Dantur homines, qui initiante vere per plures dies abstinentiam a cibis experiuntur, quando eodem præteriti anni tempore, vel salubri diarrhœa, vel sudore extraordinario laborarunt; qui orgasmum sanguinis, inturgescentiam venarum, ardorem & pruritus in cæcis locis exacto tempore sentiunt, e quibus antebac vel sponte,
vel